Rudbeck, Olof

B.F.
R83
Ka
K83du
1733

Harvard Botany Libraries
3 2044 105 174 759

Ka
R83du
1733

Library

Arnold Arboretum

VE RI TAS

of

Harvard University

Olof Rudbeck fil.

Ludaim Rubenis

1744

OLAVI RUDBECK FILII
DUDAIM RUBENIS,

QUOS

Neutiquam Mandragoræ fructus fuiſſe, aut Flores amabiles, Lilia, Violas, Narciſſos, Leucoja, ſpecies Melonis, Vaccinia, Chamæbatum, Roſam, Solanum halicacabum, certas Uvas, Tubera, Maiisch, Circæam, Hordeum, Philtra amatoria &c.

Sed

Fraga vel *mora Rubi Idæi ſpinoſi*,

Allatæ hic rationes ſatis videntur evincere.

Cum Gratia & Privilegio Sacr. Reg. Majeſtatis.

UPSALIS,
LITERIS WERNERIANIS, A:o 1733.

ARNOLD ARBORETUM HARVARD UNIVERSITY

Harvard College Library
Riant Collection
Gift of Mrs. E. C. Hammer
Jan. 27, 1902

Deposited in
Arnold Arboretum
September 1946

A κ̀ Ω.

REperiuntur in Sacro Codice multa & varia vocabula, quorum notiones adhuc ſolide atque plane non erutæ, ſed obſcuritati ſuæ ſubjacentes, induſtriam Philologorum flagitant: ad horum claſſem, vel primo loco referri meretur illud דודאים, *Dudaim*; quod legimus Gen. 30: 14. Cum vero hoc vocabulum, cum ejuſcemodi ceteris, ad Hiſtoriam naturalem omnino pertineat, natam hinc nobis eo majorem libertatem remur, cogitationes noſtras aperiendi, quod etiam ante nos & plurimi & magni viri idem hac in cauſſa fecerunt, non per omnia premendo veſtigia verſionum LXX viralis, Vulgatæ, & Targumicæ; quæ per *Dudaim*, herbam illam Mandragoram, *μανδραγόραν*, aut quoque *μῆλα μανδραγορῶν*, poma Mandragoræ volunt. Utut Joſephus, Aquila, Hieronymus, Auguſtinus, Pagninus, Munſterus, Vatablus, Clarius, Druſius. Grotius, R. Chija bar Abba, R. Kimchi, R.

ARBORETUM
HARVARD

Nachmanides, R. Aben Eſra, Elias Levites, Georgius Kirſtenius D. & Profeſſ. Medicus Stetini 1651. 4:to; ceteri in eandem iverint ſententiam. Cui quoque una cum Lyra antiqua Germanorum verſiones acceſſerunt, vertendo *Alraun*, h. e. Mandragora. Nemo tamen Druſio acrior hanc ipſam interpretationem defendit, atque id quidem non ſine mordacula obtrectatione laudis eorum, qui alius ſunt opinionis, modeſtius ideo illius criminis monitus eſt ab Andr. Riveto, Oper. Theol. Exerc. in Gen. cap. 30: *Emanuel Tremellius & Franciscus Junius (qui viri & quanti?) interpretantur* Dudaim, *dicentes vocem generalem eſſe, ad flores omnes amabiles, gratique ac jucundi odoris, quod dilectum eo modo* דוד *Ebræi appellant acute. Tunc acute,* inquit Rivetus, *nunc in vanis tempus terunt, ea maximi faciunt, quæ indocti admirantur, docti rident. An docti rident acute dicta? hanc eorum interpretationem dure excepit Druſius, & ut ſolet exagitavit acrius, modeſtius hoc dici potuit.*

Fateor me, viſa cenſura Druſiana in illos, qui diverſas, ab ipſius & veterum interpretum ſententia, opiniones foverint, aliquantisper gradum ſtitiſſe, & illa, quæ de hoc argumento in chartas pridem conjeceram, in aliquod tempus ſepoſuiſſe; ratum æque ſiniſtrum judicium me measqne cogitationes manſurum, utpote quæ partem ipſo quoque vocis etymo inniterentur. Poſtquam autem perpendi, Viros & nomine & omine Doctos, meritoque eruditionis laude mactandos, non facile in homines, a ſua opinione alienos dicteriis invehi, ſed quibus poſſint modis eo-

rum

rum placita in meliorem partem interpretari ſolere; animum recollegi, meas quoque in hanc rem meditationes publici juris faciendi, præſertim cum intelligam viros doctos haud paucos, cum Amama problem. 215. aſſerere, per *Dudaim* nullo modo Mandragoras intelligi poſſe. Nimis longum foret, neque opus eſt, omnium hoc in negotio Auctorum ſententias recenſere; quas curioſus lector abunde ipſe legere poteſt apud illos, qui hoc argumentum elaborarunt: ut inter alios; Chriſtianus Ravius Berlinotes, Or. Ling. Profeſſ. Ord. Upſalenſis, in diſputatione de *Dudaim Rubenis*, edita Upſal. d. 26. Apr. 1656. iu 8:vo; & Bonde Humerus, tum Ling. Or. Profeſſ. Lundenſ. de *Rubenis Dudaim*, Lundini Goth. d. 12. Jun. 1714. in 4:to. Sed exterorum labores exteris ſatis notos præſupponimus. Quid enim ſtatuerit Paſſioneus Abbas Italus in diſſertatione de *Dudaim*, mihi adhuc ignotum. Welſchius autem in Epiſtola ad Joh. Fabri, ſuſpicatur, quod *Dudaim* fuerit Melongena Arab. Melenzana Ital. h.e. Solanum pomiferum, Casp. Bauh. *Badligian*, *Badilgian* & *Patligian* vulg. Turc. Meu. Th Pariter & Athanaſ. Kircher. in Scal. Magn. pag. 195. dicit quod *πιβητȣκε* Æg. ſit Melongena Sylveſtris, poma amoris, Mandragora, interim *πιβετȣκε* videtur mihi eſſe idem cum אבטחים Hebr. Num. 11: 5. Tempori itaqꝫ atqꝫ brevitati litantes, nuda ſolum enumeratione plerarumqꝫ herbarum ac plantarum erimus contenti, per quas, præter Mandragoram, vidimus interpretes & criticos transtuliſſe *Dudaim* Hebræorum. Utpote Balſamum, Jasminum ſive Gelſeminum, Lilia in genere, Lilia Alba, Violæ, Narciſſi, Leucoia,

 ſpecies

ſpecies Melonis, Vaccinia, Chamæbatos, Roſæ, Solanum Halicacabum, certæ Uvæ, tubera, Flores amabiles, Philtra amatoria, Maiisch, Circæa, nec non hordeum, ut R. Iſaac, quod maxime miror. Nec defuerunt, qui ipſam vocem Hebraicam retinere maluerint: ut, Biblia Islandica, Danica, Hollandica &c. imprimis in loco Gen. 30: 14. His Joh. Clericus adnumerandus, qui ita hunc verſum exprimit: *Egreſſus Ruben triticeæ meſſis diebus, in agro Dudæa invenit, eaq; ad Leam matrem adtulit, cui Rachela, da mihi quæſo, aliquantum ex filii tui* Dudæis. Addita in ſubjuncto commentario hac nota: *Dudæa,) ſervavimus vocem Hebraicam* דודאים *Dudaim; quia quis ſit hic aut flos aut fructus, non conſtat. Attamen maluimus ipſam vocem Hebraicam retinere, qua in re nullum eſt erroris periculum, cum ea inſtar nominis proprii haberi queat. Poſſunt hac de re conſuli Joan. Druſius in diſſertat. de Mandragoris Rubenis. Nicol. Fullerus Miſcell. Libr. VI. c. 6. & Jobus Ludolfus Num. 72. ad Libr. I. Hiſt. Æthiopicæ, hic de Muſæ fructu intelligit; alii Jasminum, alii Violas, alii Lilia eſſe volunt, nullis ſatis firmis rationibus nixi: æque veroſimiliter, qui* Amomum *ſignari conjiceret, quod eſt odoratum & profert fructum uvarum inſtar, de quibus Dioſcorid. cap. 13. Quæreretur ſimilitudo, nec ægre inveniretur inter ejus fructus & lebetes, aut caniſtra, quæ Hebræis non modo* דודים *Dudim ſed etiam* דודאים, *Dudaim dicuntur. Ut cognoſcere eſt ex Jerem. 24: 1. fæminis eſſe utile, idem docet, loco poſtremo laudato, Dioſcorides, ſed conjecturarum plus ſatis.* Clariſſimi Jobi Ludolfi verba loco citato ita jacent. *Ficus Indica quoque, quæ Miiz vel Mauz Arabibus dicitur*

tur, in Habesſinia creſcit: præcellentiſſimus fructus eſt, quinquaginta enim ficus cucumeris magnitudine & forma de uno caule dependent, ſvaviſſimi odoris & ſaporis. Menſe Junio matureſcunt, ut ex itinerario principis Radzevillii didici, qui eos vidit haud procul Damaſco, ubi raræ ſunt; nam calidius clima poſcunt. Quæ circumſtantiæ mihi conjecturam fecerunt, haud alium fructum דודאים, *Dudaim fuiſſe, ſuper quo Jacobi uxores altercatæ ſunt. Paulo poſt & alios viros doctos idem conjeciſſe animadverti, tametſi non additis rationibus. Ut quidem mihi videtur, fructum oportuit fuiſſe rarum & jucundum, qui puerum moveret ut eum decerperet: (neque enim graveolentem Mandragoram Ruben domum deferre operæ pretium putaſſet,) qui etiam rixa dignus, nec obvius cuilibet eßet. Nam flores amabiles, ut alii reddunt, Lilia, Violas & ſimiles, miſſa ancilla, Rachel æquè facile legere poſſet.*

Num itaque *Dudaim* unquam ſit vel fuerit fructus Muzæ aut ficus Indicæ, Acoſt. Lugd. app. iſti opinioni ſuum locum & honorem tribuo, ſaltem ex additis rationibus illud ipſum capere nequeo; ſunt autem hæ, ex præcedentibus excerptæ, quæ ſeqvuntur:

1. Fructum oportuit *dudaim* fuiſſe rarum & jucundum, qui puerum moveret, ut eum decerperet.

2. Neq; enim graveolentem Mandragoram Ruben domum deferre operæ pretium putaſſet.

3. Cujus fructus etiam rixa dignus.

4. Nec obvius cuilibet eſſet.

5. Nam flores amabiles, miſſa ancilla, Rachel æque facile legere poſſet.

 6. Quin-

6. Quinquaginta enim ficus cucumeris magnitudine & forma de uno caule dependent.

7. Haud procul Damaſco creſcunt. In contrarium, pace tamen Eruditiſſimi viri, hæcce dubia moveri poſſunt: 1. Fuiſſe præter propter Rubenem, dum *Dudaim* hosce legeret, quinque modo annorum puerulum, ſecundum calculationem Joh. Lightfooti in obſerv. in Gen. cap. 30. *Ruben anno ætatis circiter quinto, dum Meſſores ſequitur, incidit in Mandragoras, & ejus poma.* Ita Chriſt. Ravius in Diſp. de *Dudaim* Rubenis pag. 1. *erat tunc Ruben admodum puer, nempe minor ſexto anno.* & pag. 2. *Ruben id temporis ſummum quinquennis eſſe poterat.* Quamvis Andr. Rivetus Oper. Theol. in Genes. c. 30. Exerc. 130. annum fere addat, dicendo: *Ruben adhuc puer, rediens ex agro, ad quem egreſſus erat, non animo operandi in illa ætatula, vix enim erat ſeptennis, attulit matri ſuæ* Dudaim. Scilicet puer quinque, aut ſex ſummum annos natus, eam cognitionem florum & fructuum habuit, ut ſua ſponte motus campos perreptaret, rariorem herbam præ ceteris obviis & vulgaribus electurus, quas antea ſæpe & manducavit & oculis uſurpavit, non credo. 2. Quidni potius Mandragoram carpſiſſet puſio, cujus flores & fructus, quoad externam ſpeciem, adſpectu haud ſunt viliores illis, quos fert Muza ſeu Ficus Indica? Certe illam ſi inveniſſet, æque dignam judicaſſet, quam domum redux matri offerret. Quantilla enim eſt res, qua illam ætatulam delectari videmus, ſecundum vetus apud nos adagium; *barnſægnan ær icke ſtor*: adeo parvulo floſculo

potius

potius, quam majori flore toto pectore lætantur infantuli, prout quodque animum illorum atque oculos ceperit: Quid quod inutilia immo noxia ſæpiuſcule carpunt. 3. Tantum abfuit, ut Ruben delectu facto afferret id, quod Rachel & Lea magni æſtimarent, atque unde rixa inter illas oriretur. Quamvis hoc litigium non ex eo, quod Rachel hoſce *Dudaim* Leæ invideret, ſed potius ex zelotypia exſtiterit; utra ſcilicet prior & potior mariti amoribus frueretur. 4. Neque Ruben tum eam in Botanicis notitiam habuit, ut illum fructum promtus inveſtigaret, quem ante illum ætate longe provectiorum nemo invenerit, aut qui cuilibet non obvius fuerit. Qua quidem accuratiori ipſum polluiſſe oportuit, ſi 5. ſolertius ulla ancilla *flores amabiles* a fructibus præcellentiſſimis diſcernere poſſet. Siquidem, uti dicitur, Rachel ad illos carpendos æque mittere poſſet ancillam, ac Lea maximum natu filium ad hos legendos. 6. Ad ſextam objectionem, quod nempe Ruben in illa ætate portare non poſſet unam plantam tot tantisq; Muzæ fructibus gravem, utpote quæ numerum quinquagenarium, vel ſecundum Clariſſ. Joh. Raijum, Hiſt. Pl. Tom. 2. pag. 1373. 70 aut 80:narium, imo 100. 150. aut 200:narium, æquaret, *fructus enim unusquisque, juſtam magnitudinem nactus, cucumerem noſtratem æquat.* ita reſpondet ſæpe laudatus Ludolfus in Comment. Hiſt Æthiop. Libr. I. Num. 72. p. 144. *Ut & objectio de pondere & magnitudine iſtius fructus valde exigui eſt momenti, quales decennis vel duodecennis puer bene portare poterat.* Aſt, ſi duodecennis Ruben, non in agro triticeo aut

in-

in vicinia pedem fixit puer, ſed peracta ſex aut ſeptem annorum peregrinatione in Africam, aut in Indias, Orientalem vel Occidentalem usque, tanquam hujus Muzæ ſeu Ficus Indicæ natale ſolum, profectus ibi raros hosce fructus invenit, quos anno ætatis 12:mo domum redux matri demum obtulit: fatente in antecedentibus Eruditiſſimo Viro, ſcilicet Ficus Indicas, *Calidius clima poſcere*, quam Damaſci. Interim & Joh. Simonis in excercitatione Critica de *Dudaim Hal. Magdeb.* 1731. in 4:to eadem cum Ludolfo exponit Muza, ex formali literarum ſignificatione. 7. Principem vero Radzevilium reperiſſe Ficus indicas haud procul Damaſco in agris creſcentes, ex ipſius verbis minime colligi poſſe videtur: Ita etenim in Hieroſolymit. Peregrinat. edita Brunsbergæ 1601. in fol. Epiſt. 2. p. 36. loquitur; *Nempe in Syria videlicet Tripoli, in Balbech & hic Damaſci præcipue reperiri fructuum genus, quod multis nationibus uſitato vocabulo* Mauza *vocatur.* Unde oppido liquet ipſum illas ibi non vidiſſe ſed ab aliis inaudiſſe: porro teſtatur eas in urbibus Tripoli, Balbech & Damasco reperiri, puta in ipſarum hortis vel hypocauſtis plantatas, minime in agro campove ſponte natas. *Quæ circumſtantiæ*, inquit ulterius loco citato, *mihi conjecturam fecerunt, haud alium fructum* דודאים, *Dudaim fuiſſe. - - paulo poſt & alios viros doctos idem conjeciſſe animadverti, tametſi non additis rationibus.*

Sed quemadmodum, אין כל חדש תחת השמש ſecundum Salomonem Eccl. 1:9. Ita jam pridem ſeculo a nato Chriſto ſecundo, *R* Juda bar Simon *Dudaim* per מישין reddidit, in ſing. מייש h. e. *Miiz* vel *Mauz* Æthiop. ejus-

ejuſd. ſententiæ fuit R. Iſſaſchar bar ben Naphtali, dum in Matthanoth Chehuna ita dicit: מין אילן שנקרא מייש ſpeciem arboris eſſe, quæ dicebatur *Maiiſch*. Pariter invenitur vox מייש *Maiiſch*, in Maſſ. Tamid. fol. 28. & in Bereſch. Rabba, Paraſch. 72 &c. h. e. *Mauz* Alpino, *Mauze* Theveti Lugd. *Muz* & *Gemez*, Mauritanis, *Dudaim* in Bibliis, Caſp. Bauh. pin. p. 507.

Præterea Botanici, de Ficu Indica aut *Muza* hac, ſeu *Pala* Arab. ſcribentes, nullam mentionem faciunt, aut Palæſtinæ aut Aſiæ, tanquam hujus fructus feracis: neque præſtantis & ſvaviſſimi iſtius odoris meminerunt, quem ipſi clariſſimus Ludolfus tribuit.

Verum enimvero, ſi animum ad illa tantum, quæ ſacra litera ſubminiſtrat, advertimus, quæ ſequuntur momenta colligi poſſunt. 1. Non fuiſſe *Dudaim* fructum arboreum; etenim Rubenem admodum juvenem & quinque ſolum annos natum, ipſa ſtaturæ brevitate prohibitum, quominus ad fructus aliquos decerpendos pertingeret.

2. Neque adeo parvulum arbores adſcendere auſum.

3. Vero perquam ſimile eſſe, illum in agrum meſſores conſequutum, his opus facientibus, huc illuc oberraſſe: nam

4. In ipſis ſegetibus vagari, ipſi non permiſſum, ne conculcarentur.

5. Sed in crepidinibus aut viretis agri obambulaſſe atq; ibi aliquot fraga ſeu mora, jam tum matureſcentia, inveniſſe, hæc legiſſe puerulum atque exſultabun-

dum illico domum petiviſſe, quo Leam matrem hoc munuſculo bearet: id quo hodienum probos ac pios infantes facere videmus.

6. Quod ſi in ipſo agro, שדה *Sadæ*, unde noſtrum Svecanum *Swedie*, illos inveniſſet, vel inde quis facile concluderet, *Dudaim* tanto minus fuiſſe fructum arboreum, quod agricolæ parum diligentis ſit atque prudentis, agrum poſſidere arboribus & fruticibus obſitum.

7. Fuiſſe ergo *Dudaim* fructum quendam terreſtrem, aut in ipſo agro, aut ad marginem agri creſcentem, ut mora terreſtria Servio, aut ex fruticibus oriundum,

8. Nam procul & in diſſita loca evagari puerulum & domini filium natu maximum ægre permiſſuri eſſent operarii.

9. Hujus generis fructum eſſe quidem Rubum repentem fructu cœſio, Caſpar. Bauh. de quo Joh. Raij. Hiſt. pl. t. 2. p. 1640. ita fatur: *Inter ſegetes & in arvis, demeſſa ſegete, inque ſylvis cæduis frequens reperitur, ut interdum totos agros occupet, tam cultos quam incultos.* Hunc ego ſæpiſſime circa Upſalam, & imprimis in pago *Waxala* reperi in agris creſcentem: haud ſecus ac Rubus humilis fragariæ folio, flore & fructu rubro O.R.f. ſeu Fragaria fruticans apud Norlandos occidentales & Weſtrobothnienſes, magna copia in pratis & agrorum marginibus creſcit, quarum baccarum odore ac ſapore nihil ſvavius, nihil dulcius.

Ad hanc ſimilitudine quam proxime accedit *Fragaria* vulgaris Gerard. ſeu Fragaria ferens fraga alba

ba & rubra, J. Bauh. quæ, tam propter argumenta allata, contra Ficum Indicam aut fructus arboreos, quam propter ea, quæ ſequuntur, ex mea quidem ſententia, ipſiſſimis *Dudaim* affinis eſſe videtur. Ut:

1. In Gemara, ad hæc verba; סיגלין עשבשקורין ויול ויש בה שלושה עלין h. e. *Siglin* herba, quam vocant *Violam*, & ſunt ipſi NB *tria folia*. Speciem aliquam Violæ, tria habentem folia nunquam me vidiſſe fateor; attamen ſæpius vidi Rabbinos & alios in re herbaria hoſpites, alteri herbæ alterius nomen imponere.

2. Fragarias autem, tam vulgarem, quam fruticantem, tria habere folia vel lippis & tonſoribus notum eſt; unde facile crediderim τȣ̀ς *Siglin*, per quos R. Iſacides *Dudaim* interpretatus eſt, ſignificare Uvas, atque hoc vocabulum unum idemque eſſe cum סגול, *Segol*, Chald. Botrus, cum quo optime conſpirat. *Szölö*, Ung. Uva, *Szölöfö*, Ung. Botrus, racemus: (Unde Schindlerus, סיגלין *Mandragoras fuiſſe Botris ſimiles* ait; nec tamen Mandragora eſt botrifera.) Etenim litera *G*, in linguis vernaculis quam ſæpiſſime ex iſtiusmodi vocibus excidit: e. g. *Segel*, Sved. Velum, *Sail*, Angl. *Seyl*, Anglos. id. *Tagel*, Sved. Goth. Ulfil. crinis, *Tail*, Angl. *Zaul*, Thuring. *Tzayle*, Teut. vet. *Kugel*, Germ. globus, circulus. *Kula*, Sved. *Kole*, Pol. *Kolo*, Dalm. *Tagr*, Goth. Ulf. lacryma, *Târ*, Sved. & ſexcenta ejuſcemodi alia.

3. Fragaria non tantum grati eſt ſaporis ſed ſvaviſſime quoque olet, id quod & jam de *Dudaim* adfirmatur Cant. 7: 13. הדודאים נתנו ריח, *Dudaim dederunt odorem*. Sæpeque ex ſuperiori contignatione ædium

mearum, apertis æſtate feneſtris, odorem eorum optime perſentiscere potui, dum in corticibus betulinis præterveherentur.

4. Non parum roboris adſertioni meæ acquiritur ex voce illa, per quam Targum, loco citato, *Dudaim* explicat: nempe יברוחין, in ſing. יברוח, quæ compoſita videtur, ex יאב Hebr. deſideravit Pſ. 119. & רוח, unde ריח, Hebr. odor, fragrantia; adeo ut יברוח, *Ibroh*, deſiderabilem odorem ſignificet, quæ etiam Onkeloſo & R. Chijæ bar Abba in transferendo *Dudaim* inſerviit.

5. יברוח itaq; demto jod, optime cum voce *fraga*, Lat. convenit, h. e. fructus odorus, ſvaveolens vel mora fragariæ odora, quæ & mora terreſtria *Servio* dicta.

6. Quapropter etiam hæc herba Latinis vocatur *fragaria*, Ital. *fragola*, Gall. *fraiſe*. Et Svedorum *ſmulltron*, (eſt enim *on* terminatio plur. baccarum nominibus admodum familiaris, ut: *biortron*, *tiſtron*, *kræſon*, *ſlindron* &c.) unde niſi a *ſmull*, Goth. aut *ſmell*, Angl. h. e. odor, fragrantia, a *ſveet ſmell*, Angl. odor ſvavis, fragrantia, hincq; *ſmæl-diſtel*, Roſa alba, ſ. Acantha leuce.

7. Propter ſvavem hunc odorem, fragum quoq; Ung. dictum *Epery*, quod plane coincidit cum יברוח Ch.

8. Ita Chaldaicum hocce vocabulum יברוח, adhuc ſartum tectumque manet apud Polonos, quibus *borowki* notat fraga, mora Rubi. Indeque *borowki czarne*, vaccinia nigra, *borowki czerwone*, vitis idæa rubra, *warikat* Eſthon. it. mora Rubi idæi, *Gæſek*. Et videtur quidem vox illa *bær*, Sved. *berry*, Angl. *beer*, Germ. *beere*, Belg. & Sicambr. *beer*, Norvag. *byri*, Anglos. bacca, *beria*, Anglos. Uva, fraga, mora, baccæ,

cæ, quamvis corrupta magis, cum eadem radice habere aliquam affinitatem. Quare & fraga Svedis vocantur *jord-bær*, q. d. terreſtria fraga, vel *humi naſcentia fraga*, ut Virg. Eccl. III. 92. *erdbeer*, Germ. interim & referri poſſunt ad פרי *Peri*, Hebr. fructus.

9. יברוח Ch. & Ar. unquam ſignificare Mandragoram nemo adhuc plene & plane demonſtravit: mora autem & ſpeciem pomorum exiguorum denotare potuiſſe, velle videtur Perſica vox, *ſajeberh* & *ſajebruch*, h. e. poma exigua, Caſtellus & Men. Th. Qua in re eo tutius acquieſco, quod Caſtellus dicat ad vocem יברוח, Gen. 30: 14. *Gerſon & alii* יברוחין *violas explicant:* quibus Elias Levites, Aben Eſra, Mercerus, Fagius, & ceteri adſtipulantur. Unde ſatis de hoc vocabulo dubitari patet, quid omnino primario denotarit.

10. Qui *Dudaim* per Chamæbatum reddiderunt, illos ad veritatem quam proxime acceſſiſſe cenſeo. Eſt enim Chamæbatus idem ac Rubus repens fructu cœſio, C. Bauh. cujus ſupra memini.

11. Gratiori vero ſapore odoreque gaudet Rubus Idæus ſpinoſus C. Bauh. Sved. *Hallon* dictus, ideoque nomen ſortitus ab חלין *hallan*, Ch. & Syr. h. e. dulces ſvaves, indeque *cialu* & *cialis* Turc. Rubus. Men. Th. Hi ipſi Rubi Idæi ſpinoſi fructus vocantur quoque *mora* Lat. conf. Raij. Hiſt. pl. t. 2. p. 1640. Hujus mora odorem ſpirant, adeo ſimilem Violæ Martiæ, & radici Iridis Florentinæ, Gerard. (unde appellatur *violrot*, Sved.) ut, ſi potui admiſceas aut mora Rubi Idæi ſpinoſi, aut Violam Martiam, nec guſtu, nec olfactu ſubolere poteris, utra ſpecies immiſta ſit: folia quoque huic terna aut quina.

 12. Quod

12. Quod quoque *Dudaim*, in ſingul. *Dud*, ſint & fuerint *fraga* ſeu *mora*, inſuper ex arcta ceterarum linguarum Orientalium cum matre Hebræa affinitate confirmatur, ut: *Dud*, Turc. Morum, *tut*, Arab, *tut*, Perſ. morum, indeque dimin. *tutül ælyk*, Arab. Gol. morum ſylveſtre, vel fructus Rubi. *tuty bælw*, morum dulce. תות, *dud* vel *tut*, id. Chald. & Talm. pl. *tutim* & *dudim*, in Libr. prec. fraga, mora Buxtorf. Unde quoque *diut*, ſeu *jut*, *juta* Sved. h. e. mora, fraga, baccæ, nomen forte accepit; hinc *blâ -juta* Sved. h. e. mora, vaccinia nigra, *odon* alias dicta; *Ræ -juta*, vitis idea, item Rubus. In Baal Aruch legitur: מאי דודאסי אמר רב יברוחי ר׳ לוי אמר סיגלי רבי יונתן אמר סבים: quid ſunt *Dudaim*? Raf dixit *Jabruchim*, Rabbi Levi dixit *Sigle*, R. Jonathan autem *Savis*. In noſtris codicibus Talmudis (Sanhedrin fol. 99.) legitur nunc סיבסוך *Siſſok*. Ubi duo iterum vocabula notatu digna occurrunt, *Savis* nempe & *Siſſok*, quorum prius convenit cum *Syſis*, Brit. fraga; poſterius vero cum *Czipke*, Ung. fructus Rubi, mora. Unde *Czipke bokor*, Ung. Rubus arbor vel frutex. Indeque Fennonum, *Sicka* fraga, *mah ſicka*, terreſtria fraga. *maa ſickut*, Eſthon. id.

13. Fraga aut mora, *Dudaim* Hebr. appellata, a fragrantia & ſvaveolentia ſua nomen ſortita eſſe, alia etjam vocabula adſtruere videntur, ut; *dudeman*, Perſ. multum odorus. Men. Th *dutſi*, Turc. ſuffitus, *tutſi*, Turc. id. ibid. *dutſilemek*, Turc. *ſuffire*, vel *parfumer*, Gall. ut idem ibid. explicatur. Notatu præterea dignum eſt, quod hic ipſe Rubus idæus ſpinoſus frequens eſſe ſoleat בשרה *baſſadæ*, in agro, ſcil.

agro-

agrorum locis ſaxoſis vel acervis lapidum ibidem congeſtis, unde & Smolandis *åker - bær*, h. e. agraria mora, non immerito audiunt.

14. Aſt dicat aliquis; morum arborem quoque *dud*, Turc. appellari, ideoque per *dudaim* mora arboris Mori indicari. Sed, præter argumenta allata, etjam hoc obſtat, quod mora arboris Mori, nullum fere odorem ſpirent, nedum ſvavem atque gratum, qui tamen laudatur in *dudaim* Cant. 7: 13.

15. Morus præterea arbor, non דוד *Dud* Hebræis, ſed בכא *baca* audit, unde *beg* & *beag* Anglos. morum & *begbeam*, morus arbor, *baina bagms* Goth. Ulfil. Luc. 17. 6. id. quaſi a בכאים *becaim*, Hebr. plurali abeunte in *baim* vel *bain*.

16. Quod ſi ad *dud*, pl. *dudaim* alludere placeat, facile quis dixerit, Rubum, aut morum Rubi, a veterum Græcorum *Magis* appellitatum fuiſſe *αἷμα τιτάνου*, h. e. ſanguinem *Titani*, ſcil. ob rubedinem mororum, quæ compreſſa ſanguineum fundunt ſuccum; per ſyncopen vero ac metatheſin *τιταῖμα*. A quo non multum abludit *düvedim* & *dewadim*, Arab. lacrymæ arboreæ genus, quod ſanguinis inſtar emanat. Men. Th. indeque Virgil:

Sangvineis frontem moris & tempora pingit.

17. Quemadmodum דוד, Hebr. ſignificat amabilem, jucundum, *ſåt*, Sved. Ita hinc derivanda *diddan*, Brit. jucundus, ſvavis, facetus, *diddanu*, Brit. exhilarare, conſolari, *tetzo*, Ung. placens, indeque varia nomina herbarum fragrantium, ut; *Tuderi*, Perſ. genus herbæ incertæ, Thlaspeos vel malvæ, Men-

Men. Th. *Duder*, Sved. item nomen variarum herbarum, ut *Linduder*, ſeſamum. Frank. Specul. Botan. *duder*, it. myagrum, ibid. *tuſen duder*, Sved. Centaurium minus, *tuſendyder*, Dan. Sim. Paul. *dotter blum*, Germ. dens leonis. *tytebeer*, *Norvag.* Vitis *idæa rubra* Camer. Ep. Trag. hiſt. plant. *dodde*, Teut. typha, kil. *dotter blumen*, item Germ. populago, vel caltha paluſtris, & plura alia, quæ adferre opus non eſt.

18. Propter ſimilitudinem, quæ inter mora Rubi & fructum arboris Mori intercedit, Rubus quoque appellatus eſt Morus Vaticana Romanis, Megis. Morus Baticana, Mentz. Ind.

19. Quominus autem per *Dudaim* Hebræorum intelligatur *Mandragora*, Lat. *μανδραγόρα*, Gr. Vulg. *μανδραγόρας*, Theophr. *μανδράγορον*, Hippocr. *Mandragora* & *Mandragola* Ital. *Madragora*, Boh. *Mandragore*, Gall. *Mandracola*, Hiſp. *Mandrake*, Angl. *Nadragulya*, Ung. *τραςκȣρα*, Ægypt. præter argumenta ſuperius adducta, etjam hæc obſtant:

1. Quod hæc nunquam ſponte creſcat בשרה, in agro, ut de *dudaim* adfirmatur Gen. loc. cit.

2. Neq; in agrorum marginibus vel campis; ſed in *ſylvis & umbroſis locis, nec non prope ripas fluviorum, vel ad arvorum margines quæ ſecundum flumina ſita ſunt, & quibusdam aliis locis uliginoſis fluviorum.* Teſte Ray. Hiſt. pl. t. 1. p. 669. *Mandragora* dicitur, quod ſolis fervidioris impatiens ad *mandras* pecorum, antra, aliasque ſpelumcas umbroſas provenire amet ibid. p. 668.

3. Sunt Mandragoræ poma, quamvis eſu innoxia

xia, tamen inſipida vel ſaporis ingrati, quod ipſe guſtu percepi atque expertus ſum.

4. Quod ſi *dudaim* fuerint Mandragora, haud ſane multos petiolos parvis ſuis manibus prehendiſſet, domumque portaſſet Ruben; habet enim magna & craſſa folia, nullumque caulem, ſed inter folia pediculi exeunt crebri, duarum circiter unciarum.

5. Parum itaque aut nihil ſufficeret iſte manipulus, in duas partes Racheli & Leæ dividendus, quod tamen Rachel rogabat, dicendo; תני נא לי מרודאי בנך, *da, quæſo, mihi de mandragoris filii tui*, h. e. me interprete, partem aliquam; vel da, quæſo, mihi aliquot ſaltem fraga vel mora.

6. Neq; *dudaim* in genere *flores amabiles* fuiſſe autumo, quippe qui, inde ab appetente vere, ad meſſem triticeam usq; plus ſatis reperiebantur atq; ſuccreſcebant.

7. Ideoque Racheli jam obſoleti, dudum novitatis gratiam exuerant.

8. Neque, ut quidem Criticorum plurimi adſerunt, Rachelem ideo *Dudaim* concupiviſſe crediderim, quod eorum eſu fœcundiorem ſe fore crederet, qua de re, ne gry quidem, in ſacro textu; ſed ingenti aviditate eosdem deſideraſſe, tanquam primos anni fructus, ac propterea eo gratiores.

9. Id quod hodieq; mulieribus perquam eſt familiare: Quoties enim hæ, primo vere aut æſtate appetente, thalerum imperialem, imo duos vel tres erogant, pro pauxillulo ceraſorum, fragorum aut ejusmodi fructuum? Ita halec Batava pluris, quam tribus aut quatuor obulis non æſtimanda, primo tamen die, quo, etiam in ipſa Batavia, venum exponitur, aureo vel pluris conſtat.

10. Fraga autem, imprimis præcocia illa, avidiſſime appeti, non modo ipſa experientia teſtatur, verum & aliorum teſtimonia idem comprobant, ut Sim. Pauli, cujus hoc in Flora Danica p. 237. legitur: *Saaſom Jord-bær* (fraga) *plegegierne at locke dennem tilſig, ſom gaa dennem forbi, ſa at de ſaae ſtor begierlighed til dennem at plocke oc æde* &c.

11. Neq; ex ſacra pagina concludere quis poteſt, Leam vel Rachelem ſperaſſe, a Rubene hos *Dudaim* domum allatum iri, ſed utrique ex inopinato hoc munusculum obveniſſe. Uti nec Leam in eum finem ſiviſſe filiolum ſequi operarios, nec Rachelem ad eos legendos miſiſſe famulam.

12. Eo probabilius deniq; ſtatuere auſim, *Dudaim* eſſe fraga, h. e. fructus Rubi idæi minoris, Lacun: ſeu mora Rubi Idæi ſpinoſi, C. Bauh. Pin. quo certius conſtat, non tantum reliquas Ling. Orient. utpote Arab. Chald. Perſ. Turc. Talmud. & Rabbinor. verum etiam Europæarum nonnullas, & re, & nomine, huic ſententiæ ſuffragari, ſuumq; robur conciliare. Et cum שדה *Sada*, vi nativæ indolis procul dubio denotet noſtrum *Swedie*, h. e. campum ſylva antea occupatum tectumq; qui tamen, cæſis inq; cineres redactis arboribus, ſemina jam admittit; quod etiam confirmare videntur verba Davidis Pſal. 132: 6. שדי יער *Sede jaar*, campi ſ. agri ſylvæ, nobis *Jær-* ſ. *Gær-Swedie*; eo magis veritati erit conſentaneum, *Dudaim* fuiſſe fraga vel mora Rubi Idæi, quo certius conſtat, non alia hodienum loca baccarum ejusmodi eſſe feraciora.

Quod ſi in poſterum certiora edoctus fuero, ſciat velim Lector Benevolus, me, quæ hic & nunc dicta ſunt, libere revocaturum, quippe qui pondera rationum ſemper maximi facio. Imprimis vero, ubi de argumento agitur ex ſacris literis deſumto, quas omnes non ſine ſumma reverentia & pia animi attentione legere debemus, inde verum & genuinum germen τȣ̃ דוד inveſtigaturi, nempe arborem vitæ, ex qua prænobilis ille atq; pulcherrimus fructus progerminat,

τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃς ὁδηγήσει ἡμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν.

) O (

PAMPHLET BINDERS

This is No. 1525

also carried in stock in the following sizes

	HIGH		WIDE		THICKNESS		HIGH		WIDE		THICKNESS
523	9	inches	7	inches	½ inch	1529	12	inches	10	inches	inch
524	10	"	7	"	"	1530	12	"	9½	"	"
1525	9	"	6	"	"	1932	13	"	10	"	"
1526	9¾	"	7⅛	"	"	1933	14	"	11	"	"
1527	10½	"	7¾	"	"	1934	16	"	12	"	"
1528	11	"	8	"	"						

Other sizes made to order.

MANUFACTURED BY
LIBRARY BUREAU
Division of REMINGTON RAND INC.
Library Supplies of all kinds